scripto accusetur, nec cuiquam accusatori respondeat qui ducit vitam reprehensibilem, quoniam indignum est, ut doctor indocto, ovi pastor respondeat. ipse sicut laicus qui non est legitime coniunctus, recipiendus in accusatione non est. sic nec sacerdos sine titulo criminari vel testificari potest; quoniam maculosus et insanus accusare non permittitur. ± Et non solum hii, sed et qui consentiunt, reiciendi. Hucusque Calistus. Item Nicenum concilium: Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus. + Quomodo dignum est, ut ab extraneis iudicetur, qui provinciales et a se electos debet habere iudices? Audisti, o defensor, quid pontificum auctoritas super huiuscemodi accusatoribus censeat. Sunt et alia quam plura ad eundem sensum pertinentia, quae replicare fastidium duxi. - Def. Nullius pontificis sententiam veraciter opponere potes, ut scripturarum veritas interrogantibus non sit narranda et exponenda. Ista nimirum capitula illis obviare probantur, qui quoslibet ecclesiae praesules accusare non erubescunt, asserentes eorum crimina facta vel conficta, scilicet quod aut homicidae aut raptores aut adulteri sint vel aliquid huiusmodi; non quod in decretalibus apicibus habeatur, ut veritas, quae in sacris voluminibus continetur, non sit interrogantibus proferenda, et si necesse fuerit, brevitatis causa in litteris assumenda. Quod autem scriptum est ut nullus adversus aliquem praesulem scripturas faciat, nullusque doctor per scripta accusetur, miror te ita sentire velle, ut interrogantibus nos non audeamus ea, quae respondenda sunt, ex divinis libris in scedulas breviter assumere, eisque satisfacere. Aliud namque est, dolosas litteras adversus aliquem componere, ut eum aliquatenus ledere possis, et aliud, testimonia de scripturis in unum conferre, quatenus veritatem